

*sedit pro tribunali et concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini eo quod non dedisset honorem Deo et, consumptus a vermis, expiravit*¹.

d) Dona vel favores adulatoribus haud largiatur Pastor, quorum, cum una semper mens sit favores carpere, nisi eos assequerint, laudum canticum in vituperiorum chorum immutant, quo, tandem, vice saltem una, qui reapse sint et quid intendant, ostendunt.

Articulus II.

DE PASTORIS PRUDENTIAE ADIUMENTIS.

§ I. De veritatis in Pastore amore, et de sui ipsius agnitione.

SUMMAE RERUM. — 58. De veritatis in Pastore amoris necessitate. — 59. De eius obiecto. — 60. De sui ipsius agnitione. — 61. Ad rem ratio. — 62. Ad rem media, seu de in propriis passionibus vigilantia. — 63. De quibusdam peculia-ribus adiumentis.

58. — Ad haec omnia feliciter devitanda, ut in primis Pastores adeo veritatem faveant ut nil antiquius cordi habeant, necesse est. Enimvero qui ambiguitate, calliditate tricisque quoquomodo inser- viunt, potiusquam patres, proditores [iure meritoque] ab Origene vo- cantur. Nam pater non est qui, verbis dolosis, filium in fraudem inducit: mater non est quae pro lacte, venena nato propinat: quod faciunt hi [si adsunt] qui aliud promittunt ore, aliud mente destinant; aliud verbis loquuntur, aliud animo versant: quae ubi semel subditi repererint [quod facile accidere assolet] hostiles exurgunt animi, fiducia omnis exulat, et pro christiana simplicique sapientia, ingens diffidentia hypocri- sisque oritur. — Nec satis, sed ut semper et omnem veritatem Pastores diligent enixe suadendi: adsunt, enim, qui *amant veritatem lucentem, sed odiunt arguentem*³, gratam, scilicet, at non ingrata adamant, Quo fit ut, quicum amara medela dulciori utilior sit, mediis ad regimen effi- cacious ibi careant. Tunc, si quis sincere veritatem ipsis pandat, aegro animo sustinent, et [quemdam Israeliticae gentis Regem imitando] de sincero amico ingeminant: *mittite istum virum in carcerem*⁴ ut sua

¹ *Act Apostolor. XII, 11-23.*

² *Prov. X, 13.*

³ *S. Augustin. loc. cit.*

⁴ *Matth. XIV, 2.*

sinceritatis poenam luat. At *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*¹. Enimvero genuina sapientia mundi haec est quam Pastores Ecclesiae odio prosequi debent, ut Crucis stultitiam semper et in omnibus obsequantur. Idcirco *veritatem eme et noli vendere Sapientiam*²; nam in semitis iustitiae vita, iter autem devium [memi- nerint Pastores] dicit ad mortem³, ea quidem morte qua nulla miseror est. Veritate succumbere, quam mendacio vivere prestantius est.

59. — Huius veritatis amoris in Pastore obiectum, tum in sui ipsius, tum in coeteris omnibus sibi subjectis, vel eorum quae ad paroeciam pertinent agnitione ac recta diudicatione continetur, quibus tantum [prudentia duce] sui regiminis rectam normam sibi praestituere Pastor valebit. Quum vero in his, veluti totius regiminis fundamentum habeatur, per partes dicemus.

60. — Ut Pastor se ipsum cognoscat valde interest. Enimvero quum, omnis vitae spiritualis fundamentum sui agnitio sit, et quum pastorale regimen a Deo vitam habere debeat, ut Pastor sui ardui munieris officia iure obeat ut ante omnia spiritualis homo sit et sui ipsius cognitionem habeat oportet. Quae omnia et ex prophano confir- mantur regimine; nam si omnes in eo difficultates recte perpendimus, potiusquam ex subditis, ex Praepositis saepe eas oriri facile compemus: quae recte iudicandi vim adeo Pastori auferunt ut hic [malo exemplo], malis subditorum facinoribus ansam praebere consuescat. Idcirco, primum ac praecipuum veritatis inimicum se ipsum esse per- suasum prorsus Pastor habeat, quo ut seipsum cognoscat emendetque omnem adhibebit industriam, qua, et fidelibus et sibi magnum emolu- mentum afferet. — Nec secus paganae scientiae consilium, quam *nosce te ipsum* indesinenter commendasse omnes scimus; quod salutare pree- ceptum, a Christi schola nobilitatum et uti scientiarum omnium com- pendium habitum esse, novimus. Idcirco apte dixit quidam: *haec est altissima et utilissima lectio sui ipsius vera cognitio*⁴, qua tantum, re- gimen, et virtutes defectusque nostros agnoscamus, qua agnitione non solum divinae, sed et humanae prudentiae synthesis cum contineatur, brevi explicatione indiget.

61. — Ad rem rationem philosophi omnes in suarum virium cognitione indigitare consuescant, quam in tum positivum, tum negativum sui ipsius studium iterum dispescunt. Idcirco:

a) Quae Pastor possit inquirat, nimur quae a Domino

¹ *Prov. XXVII. 6.*

² *Id. XXIII, 23.*

³ *Id. XII, 28.*

⁴ *De Imitat. Christi. Lib. I, cap. 2, 16.*

talenta acceperit et quomodo ea negotiari valeat ipse consideret; quo suas vires adeo Praepositus excolet, assidue evolvet perficietque, ut maximum regiminis adiumentum ex illis percipere valeat. Tunc, enim, suo apta ingenio negocia elit, sui regiminis sistema propriae naturae consonum ipse statuit, quo dulcius fructuosiusque omnia ad bonum finem perducuntur: quod si, nihilominus, quae aggrediuntur negocia male cesserint, attamen infelix, non vero stultus habetur. Providentissimus, enim, Deus, mirabiliter sua dona dispensans, non omnibus omnia dedit, sed unicuique adeo ea distribuit, ut, ex eorum unione, huius mundi harmonica actio et mirabilis Eius potentia clarescant. Quod et Apostolus Corinthiis recolit: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic¹; et alibi: Unicuique... datur maniestatio Spiritus ad utilitatem..., omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult². Infinitus, enim, thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei³.*

b) Quid haud possit [eoque magis] Pastor cognoscat, nam persaepe superbia adeo nos fallit, ut bona quibus caremus, possidere putemus; quo fit ut, ausu potiusquam ratione, negocia quae aggredimur haud perficere valeamus, et tum nostrae salutis, tum apostolatus adiumenta in nostrum caeterorumque detrimentum vertimus. E contra, quum ex qua parte claudicamus agnoscimus, cautius incedimus, et ex adverso inclinando [libratis ponderibus], medium [nobis regiminique utile] servamus. — Ad hoc quid de nobis operibusque nostris homines susurrant prudenter investigare peropportuum; quum, si haud eis fides facile praestanda quum laudant, e contrario, quum criminantur facilius adhibenda est. Fideli itaque hoc speculo utatur Pastor; omnes censorum ne spernat notas, sed si quae sunt emendanda, ipsorum ex verbis, prudenter agnoscat. Etenim quum persaepe sicut amici adulantes pervertunt, sic inimici plerumque corrigunt⁴, adversarius uti amicus recte censeri debet, quo fit ut infelix qui haud inimicos habet recte quis dixerit.

62. — Huius vero sui ipsius cognitionis media, fere omnia in eo sunt ut [vigilantia mediante] suas passiones adeo cognoscat ac dominari Pastor valeat, ut in prudentiae semitis [cuius ipsae vaserrimae inimicæ extant] in sui caeterorumque bonum se ipsum deducat; nam si externis depulsis hostibus, internis subiicimus, omnia nil profecto valerent. De

¹ I, VII, 7.

² Ibid. XII, 7-11.

³ Sapient. VII, 14.

⁴ S. Augustin. *De morib. Ecclesiae Lib. IX, Cap. 8.*

passionibus, igitur, quae potentius laqueos prudentiae protendunt, dicamus oportet.

a) *Animi inconstantia [humeur] devitanda semper, cuius effectus fit saepissime ut arundini instabili agitatae vento similes effecti, tum in cogitatione, tum in actione discordiam foveamus, unitatemque regiminis funditus lacessemus. Enimvero bene agendi occasiones negligere, inanes inclinationes sive aversiones in animum invehere, magni momenti negotia nil faciendi rationibus iudicare, animum obnubilare, impatientiam fovere, constantiam perimere, auctoritatis abusum exercere, frangere potiusquam flectere, uno verbo, multa amittere bona, multaque admittere mala, haec instabilitatis sors est. Hac ratione quidam huc illuc fluctuantes agitantur; alia dicunt, alia sentiunt: affectus populi impellit, quasi ventus, folia et foenicula tectorum, et eorum temporalia ingenia ex ancipite vulgo pendent¹; tanta mutatio est, ut de aliquo quem vidisti heri merito dici potest: Hic quis est?² Etenim quod heri volebamus, hodie recusamus, quod hodie nolumus, cras desideramus³, et, dum instabilitatis vento hoc illucque [prouti inania folia] circumferimur, histriorum ad instar, subditos illudimus et decipimus, paroeciae, nobisque infandam ruinam comparamus. Quae omnia quantum pastoralis regiminis praecepta necnon prudentiae prima dictamina adversentur, nemo qui homines haud tamquam ludicas res habet, non videt. — Haec operis mutabilitas [regiminis unitati quam maxime inimica] quum a mentis levitate [ut effectus a causa] dimanet, pusillanimitatem commonstrat, forti animo indignam, cuius, e contrario, accessus et recessus passionum vincere, et aequa librare lance est. Pastor, igitur, ut sapientium constantiam excolat, instabilitatem fugiat, ac probe noverit una tantum regiminis norma [sibi fidelibussque opportuna] commissos sibi subditos incolumes servare posse. Ad hoc vero quam maxime advigilandum, quum nil misellae nostrae humanae naturae [graviter sauciatae peccato] constantiae difficilis habeatur qua quidem nostra indoles, quasi flos egreditur et conteritur..., et numquam in eodem statu permanet⁴.*

b) *Praematura festinatio uti quidam inconstantiae effectus [iure meritoque] censeri debet. Si, enim, ponderatione at minime festinatione duce, agenda Pastor decerneret, haud inconstantiae notam incurret, in quam, quia hinc inde vento rapitur, in diurnas moras iacturamque temporis merito incidit. At, dum *praecipites bonorum actu*um *praeveniunt tempus*, *meritum pervertunt*, et saepe in mala cor-*

¹ Quintilianus, *Declam.* 8.

² Seneca, *De Beneficiis*, IV.

³ S. Bernard. Epist. 87, *Ad Ogerium*.

⁴ Iob. XIV, 2.

ruunt, dum bona minime discernunt; qui nequaquam quae et quando agant inspiciunt, sed plerumque acta, quia ita non debuerant agere, cognoscunt... Qui, enim, negligit considerando praevidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, sed praevidenti sibimetipsi non antecedit, atque idcirco citius corruit, quia quo pede operis ponere debeat, per palpebram consilii non attendit¹. Idcirco Pastor prudens Sapientiae monita recolendo: *Impatiens operabitur stultitiam*², qui festinus est pedibus offendet³, et illud Salesii: *numquam sero quod bene*⁴, naturam imitetur, quae non per saltus, sed per gradus, sensim sine sensu, procedere suaque bene perficere consuevit. Quae agit, potiusquam postea [forsan poenitens] in amaritudine consideret, antequam incipiat, quae agenda sunt attente recognitet. Tunc, tranquillitate, meditatione et patientia, meliora assequetur; sapientiae prudentiaeque filiae opera eius erunt, nec praegnantibus illis quae, cum praematurum foetum parturient, non humanam societatem, sed tumulos implent, haud Pastor compabitur.

c) Nimius amor sui [égoisme] charitatis prudentiaeque sepulcrum esse SS. Patres omnes docent. Et recte sane quum, nisi potentissimum Gratiae auxilium accedat, *natura pro suo commodo laboret, et quid lucri ex alio sibi proveniat attendit*⁵. Tunc, quidam non erudituri populos, sed eorum favorem quaesituri, quae sunt praelatura debita oblivioni tradunt, ut iura tantum inhinent, ac ita christifideli sacrosancta iura in debita male immutant: sicque omne regiminis aequilibrium disperdunt, et, auctoritate abutentes, fere ad rebellionem subditos incitant. Tunc, non christifideli tantum loco se ponunt, sed et Deum ipsum hi posthabere videntur, et quod Deo debetur, sibi ipsis usurpare haud refugiunt. Hac ratione [stulti peregrini ad instar] *peregrinationem pro patria diligunt, subsidia itineris in obstaculum perventionis vertunt, et nocturno lunaे lumine delectati, claritatem solis videre refugiunt*⁶, ac dum terram promissionis conspiciunt, Iordanem transire refugiunt, et aegyptiaca in captivitate vivere malunt. At quae in nobis sunt bonae operationis opera ita sunt ad fidelium aedificationem trahenda, ut in eis non plausus, non favor, aut gratia humana requiratur, sed Ipse a quo haec sunt hominibus collata, Deus laudetur: quidquid, enim, habemus et sumus, Deo debemus. Christifideles vero nec uti pecora demul-

¹ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.*
Par. II, Cap. 25.

² *Prov. XIV, 17.*

³ *Id. XIX, 2.*

⁴ In Epistolis.

⁵ *De Imit. Christ.* Lib. III, Cap. 54.

⁶ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.*
Par. III, Cap. 16.

cenda vel tondenda, neque uti gradus ad superbiae montem, seu uti pecuniarum arcae compilanda habendi sunt, sed uti Redemptionis premium, uti Coelo natos et apostolos eos colemus, et magna cum reverentia tractemus; quam artem ipse Deus hominumque Redemptor praecipit sanctoro exemplo Suo, nos docuit! Non, enim, a Deo et ab Ecclesia ad regimem Pastores ideo assumuntur ut seipsos pascant locupletentque et in caeteris dominium exerceant, sed ut subditis, praesidendo prosint, ut sincero eos prosequantur amore, et [Boni Pastoris ad instar] eorum pro animabus [si opus est] propriam ponere ne ambigant. Absit, igitur, oh! procul omnino absit a *sacerdotali animo ut in qualibet causa privato zelo moveatur*¹. — Ut vero sanctam hanc libertatem feliciter Pastores assequantur, *non quod sibi utile et commodum sit, sed quod multis proficiat magis considerent*²; *quae in hoc mundo consequuntur calamitatis solatia, non autem praemia retributionis credant: contra favores mundi mentem erigant, ne in eis, ex tota cordis delectatione, succumbant*³. Secus Dei fideliumque iura et sua debita posthabentes et parvipedentes, dum hic in terris Deo ac fidelibus importabiles odiosique efficerentur, aeterna quoque praemia misere Pastores amitterent. Nil, enim, populo odiosius quam superba ac insatiable cupiditas Principis!

d) Pertinaciam vero prudentiae obstaculum esse ambiget nemo qui Sapientiae monita recolit: *Prudentis est mutare consilium, et qui rectus est corrigit viam suam*⁴; *da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia*⁵. Hac ratione, dum *rectis persuasionibus* [Pastor] acquiescit, constanter se in *bono opere dirigit*⁶, et Servatorem Nostrum imitatur qui gloriabatur: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me Patris*⁷. Idcirco illud Apostoli sibi dictum esse Pastores putent: *Nolite prudentes esse apud vosmetipso*⁸, nec ex illis sint de quibus querebatur Sapiens: *vir impius procaciter obfirmat vultum suum*⁹, *comedent fructus viae suae suisque consiliis saturantur*¹⁰. Et recte sane, quum malorum foecunda mater pertinacia sit, qua, caeterorum omnium consilia spernendo, nostram infallibilitatem astruendo, ac experientiae monita negligendo, dum prudentes apud nosmetipso sumus,

¹ S. Gregor. Magn. *Epist. Lib. II, Indict. 9, epist. 25, Ad Ioann. Episcop.*

² *Imitat. Christi.* loc. cit.

³ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.*

Par. II, Cap. 2.

⁴ *Prov. XXI, 29.*

⁵ *Id. IX, 9.*

⁶ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.*
Par. II, Cap. 18.

⁷ *Ioann. V, 30.*

⁸ *Ad Roman. XII, 16.*

⁹ *Prov. XXI, 29.*

¹⁰ *Id. I, 31.*

per innumerabilem errorum semitas in praecipitum, una cum subditis, misere corruimus. — Nec quis pertinaciam cum perseverantia confundere audeat, quum utramque inter haud parvum intercedat discrimen. Nam, prima prudentiae innititur et, si opus est, se retractat; altera, e contrario, a superbia gignitur, et etiam cum recedere oportet, in suis consiliis [omnibus obstantibus] pertinaciter perseverat. Quod et quibusdam pseudo-asceticae cultoribus adeo saepe contigisse historici tradunt, ut quidam [haud omnino inepte] sanctitatem idem illis ac pertinaciam videri autem. At genuina sanctitas ex humilitate oritur ac in ipsa fulcitur, qua [Divina opitulante Gratia] Deo hominibusque docibiles reddimur. — Pastoralis regiminis mens tota in eo est ut [quantum humana conditio sinit] bona assequatur, mala vero devitet; quare, quum Pastor sinceri veritatis itineris loco, erroris semitam insequi conspexerit, statim haec deserit ut prima insectetur. — Nec quis Pastoris retractationem uti auctorati perniciosam habeat: nam *si turpe est falsitate posse seduci, at veritate reduci non obest*¹; si errare humandum est, permanere tamen in errore diabolicum. Protecto, D. Bernardo dicente, *turpius est saepe retractare quod feceris*², idest si saepenimis, et fere de more, hoc contingat, maximum auctoritas sentiret detrimentum. Quod ne eveniat lente Pastor festinet, sua dicta ac actiones, antequam aggrediatur, sedulo consideret, ne postea, saepe nimis, ea retractare cogatur. Quando vero prudentia vel iustitia hoc urgeant, ea ratione fiat ut tere nullatenus subditi cognoscant, qui si in errore imprudentiam, in retractatione levitatem suspicare solent. Enimvero, solis ad instar, quem dum nitet nemo aspicit, quum, e contrario, occultetur omnes considerant, ita et bonos omnes despicer eventus ut malos tantum attendant adeo vulgi insidia est, ut omnia quae cuiquam feliciter cessere insimul sumpta, haud unius quae male cesserit locum sustinere posse videantur.

e) *Praesumptio*, uti superbiae filia, prudentiae omnino opponitur, quae, e contrario, ab humilitate ortum habet, qua omnia quae Gratia suadente agimus bona, a Deo repetere consuevimus. Enimvero quum totius fere sapientiae summa in eo sit ut saltem multa nobis deesse teneamus, e contrario, *omnia illi desunt, qui nil sibi deesse putat*³. Quae *praesumptio* et Moysis exemplo reprobatur qui, a Ietro correptus, *non moleste tulit, non dixit: Quid hoc? Post tot tantaque praeclara*

¹ S. Bernardus. Epist. 232, *Ad. Ioann.*
² Abb.

² *De Consideratione*, Lib. II, Cap. 3.
³ *Op. et loc. cit. cap. 9.*

*gesta venisti nobis consilia daturus?*⁴ *Quod tamen multi faciunt, etiamsi quis optimum det consilium*⁵. Idcirco, iure meritoque, docilitatis spiritus haud iuvenibus tantum convenire Angelicus docet, quum immo et senum ornamentum sit, qui quamvis rerum experientia periti, at tamen nec infallibles, neque impeccabiles extant. Enimvero *senes ipsi consiliis sapientiam discunt*⁶, et nil imprudentius quam se prudentes putare; quin immo *sapientes abscondunt scientiam; os autem stulti* [ut sunt *praesumptuosi*] *confusioni proximum est*⁷. Quidquid sit, hoc unum pro certo teneatur, scilicet, *praeemptio tumidae arrogantiae oculum cordis vel claudit ut omnino non videat, vel distorquet ut perverse videat, et aliud pro alio probat aut improbat*⁸. — Quae omnia multo manifestiora apparent quum quis opiniones quibus *praesumptuosi* innituntur consideret, quae [saepe nimis] vel ex probabilitate tantum, vel ex praeiudicata opinione et inscrita, vel ex dictoris ortum habent et fundamentum accipiunt. Quibus studiis, quo sese pacto prudens Pastor fidere potest? At haec diffidentia maximis difficultatibus obnoxia est, quum quam incapacitatem sibi suadere nil difficilis habeatur. Enimvero adeo nemo sua sorte contentus est, ut meliori dignum se esse quisquis autem; dum vero de suis iudicat, passionum excusationes epikeiasque facile invenit, quibus veluti obcaecatus, fere omnia se perspicere ac posse putat. Sed Pastor prudens plus novitatis curiosus quam veritatis studiosus non videatur, et quod solus vel primus dixerit ne approbet tantum. Sapientiae monita meminerit: *Ne innitaris prudentiae tuae*⁹, qui *confidit in corde suo, stultus est*¹⁰: *ne sis sapiens apud temet ipsum*¹¹, et illud D. Bernardi: *praecipua prudentia est quod alios prudentiores existimes*¹². *Sapiens timet*¹³, Scriptura docet. Secus per tenebrosam impiorum viam incedere Pastor adigetur, qui ubi corrut nescit. — Verumtamen hac in re et aliud D. Bernardi magni momenti monitum recolere iuvat qui, postquam cuiusdam *praeumptionem* damnaverit, statim addit: *Volo te praeumere ne diffidas, non praeumere ne torpescas, non timere ut praeumas*¹⁴; quod et S. Bonaventura confirmat, dicens: *Cavendum est ne, dum nimis vitatur praeemptio, inordinationis accedit confusio*¹⁵. Igitur, ne dum unum excessum vitamus, in alterum incidamus, tum in

¹ S. Ioann. Chrysostom. Homil. I in *I ad Corinth.*

⁶ *Id. XXVIII, 26.*

² Plin. jun. *Epist. 3.*

⁷ *Id. III, 7.*

³ *Prov. X, 14.*

⁸ *Epist. 87, Ad Ogerium.*

⁴ S. Augustin. *contra Faustum*, Lib.

⁹ *Prov. XIV, 16.*

⁵ XVI, Cap. 14.

¹⁰ *De Ordin. vitae, Cap. 12.*

⁶ *Prov. III, 5.*

¹¹ *In specul. disciplin., cap. 7.*